UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

SS. Galation Et Episteme MM. 5. Novembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

Visual Library

SS. GALATION ET EPISTEME MM. 5. Novembris.

NVlli æquè flores cælo arrident, ut animi virginis lilia, maximè quæ ex thalamo ſurgunt, hoc utique pulchriora, quo rariora. Vides hodie tamen hæc in GALATIONE & EPISTEME, quibus caſtiſſimum thalamum virginitas ſtravit, verecundia ornavit, mors defendit. Et GALATIONEM quidem matri ſterili, ſi Chriſto adhæreret, ſpopondit Anachoreta, firmavitque pactũ in ſomnis viſus in cruce Chriſtus. Liberata utrimque fides, & filio hereditatem parens uterque Fidem, ſponſam verò EPISTEMEN reliquit formâ ſingulari & omnibus virtutibus dotatam. Hæc cæleſti oſtento, nec uno, inſtructa cùm virginum beatos choros eſſet intuita, facilè virginitatem etiam in conjugio coluit. GALATIONE exinde inter monachos abdito, ipſa inter virgines velatas vixit, abductaque per viſum cum marito in cæleſtia palatia, juſſaque coronam ſperare, etiam ad ſanguinem DEO litandum animum exerit. Etenim eunte ad tribunal impium GALATIONE, pari paſſu virum mulier ſecuta, negavit rectè facere conjugem, ſi ſine conjuge ad coronam aſpiraret, quam nuper utrique cælum promiſiſſet. Et verò hanc non minùs ſponſæ quàm ſponſo deberi. Itaque cùm, ut in lecto caſto, ita etiam tormentis omnibus ſocia eſſet, poſt corpus virgis conciſum, poſt infixas ſub ungues ſpinas, linguâ primo & pedibus manibuſque, poſt capite etiam ſunt truncati, feliciſſimi conjuges & ſine filiis morituri, niſi hoc, in quos omnia bona ſparſerant, pauperes negarent. *Ex Metaphr.*

Beatus.

Beatus, qui ſacræ Virginitatis hortum concluſum, fontemq́ue ſignatum Chriſto Domino inviolabiliter conſecravit. Ipſe procul dubio in æterno ſponſi convivio, unà cum B. Mariâ Virgine Virginis Matre, Reginâq́ue Virginum Agnum ſequetur quocumq́ue ierit. S. Laurent. Iuſtin. de Regim. Prælat. c. 8.

S. MALACHIAS EP. *5. Novembris.*

ADes turba literaria, &, ſi placet, euntem ad ludum puerulum MALACHIAM comitare. Vides ex viâ ſubſiſtentem, & paſſis brachiis identidem non Apollini ſed Numini ſupplicem? O plures ſic ad ſcholas itarent, ut plures inde Malachiæ redirent! Nunc unicum laudamus, qui Sacerdotio à Muſis donatus ſororem è piacularibus flammis facto ſacrificio exemit, mox patriæ (Hiberniæ) Epiſcopatum tulit. Verùm uti honor artes alit, ita invidiam provocat. Capiti MALACHIAE plures inſidias poſuerunt, ut ipſius inſulâ ſuum tegerent caput. Sed cælum pro virtute pugnavit. Nam dum MALACHIAS ad aſylon templum confugit, tempeſtas omnes ejus hoſtes fulminavit, laceroſque eorum artus hinc inde ſtipitibus arborum ad cogitati parricidii infamiam ſuſpendit. Sed & mulier, quæ linguam in Divum armaverat, putreſcere hanc ſenſit, ut oris virulentam infamiam graveolentia proderet. Alios oculorum orbitas, ferrum alios igneſque & dæmon malus ſunt ulti. Ita omnibus periculis ſubductum caput in tutas latebras Claram Vallem tulit, & ut ſecurum jam eſſet, cuculo abdidit. Morienti oculos clauſit D. Bernardus, quem quia præconem laudum etiam ſuarum habere meruit, non jam Achilli Homerum puto invidebit. *Ex S. Bern.*